

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z


Epistolarum theologicarum pars prima

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)


EPISTOLARUM
THEOLOGICARUM
PARS PRIMA:

Ab A. D.

M D XL.
usque ad annum
M D L.




A. 1



I

ei
re
se
o
li
st
fo
re
na
ch
re
bl
la
ef
ca
lu
no
fo
fi
st
pr
fa



I.

*Testimonium gradus Doctoralis, JOANNI
MARPACHIO collati.*

Martinus Lutherus, Doctor Theologiæ, Decanus Collegii Facultatis Theologiæ, omnibus lecturis has literas S. D. Petivit à nobis testimonium de suis moribus, studiis & gradu Doctor Joannes Marpachius, Lindoensis. Id ei propter ipsius virtutem & doctrinam summâ voluntate impertivimus. Intelligimus enim, eum in scholâ nostrâ, in quâ toto triennio degit, ita vixisse, ut omnes Professores ejus modestiam & singularem diligentiam, in omni officio prædicent. Ideoque & ante biennium à Collegio Facultatis artium liberalium ornatus est gradu Magisterii. Cum autem maximè cuperet sua studia servire gloriæ DEI & utilitati Ecclesiæ, studiosè audivit interpretes scripturæ Prophetiæ & Apostolicæ, & inquisivit antiquitatem & omnium temporum certamina in Ecclesiâ, ut nativam & sinceram Evangelii doctrinam perciperet. Amplectitur ergo puram Evangelii doctrinam, quam Ecclesia nostra uno spiritu & unâ voce, cum catholica Ecclesia Christi proficitur & abhorret ab opinionibus, cum illâ pugnantibus. Ostendit autem publicè suam sententiam de universâ doctrinâ, non solum in congressibus Scholasticis, sed etiam in publico munere Ecclesiastico, quo aliquandiu functus est. Quare cum Ecclesia Isnensis, quæ eum ad docendum Evangelium vocavit, peteret, ut publico testimonio gradus Theologici eum ornaremus, voluntati illius Ecclesiæ morem gessimus: quia enim sciebamus, hunc Johannem Marpachium honestis & piis moribus præditum esse & rectè intelligere summam Christianæ doctrinæ, ac puritatem Evangelii, quæ in nostris Ecclesiis lucet, amplecti, nec contaminatum esse pravis opinionibus, ut extaret nostrum de eo testimonium, decrevimus ei gradum Theologici doctoratus, & precamur DEUM æternum, patrem Domini nostri Jesu Christi, qui immensa bonitate sua servat Ecclesiæ reliquias, & addit dona, ne lux Evangelii ex-
tingua-

4
tinguatur, scilicet doctores & pastores, ut hunc quoque spiritu sancto erudiat & gubernet, ut ministerium ejus sit efficax & salutare. Hoc cum petere nos jussit, non dubitamus, hæc vota exaudiri. Ipsum verò Doctorem, Joannem Marpachium, & Ecclesiam suam hortamur, ut fideliter conservari Evangelium apud suos curent. Nam hoc officio præcipuè DEUS coli se postulat, sicut inquit Christus: in hoc glorificatur pater meus, ut fructum copiosum feratis & fiat mei discipuli. Hunc igitur cultum fideliter DEO præstemus, nec impiæ multitudinis in mundo judiciis ac furoribus ab Evangelio abstrahamur, sed nomen Filii DEI celebremus, & cum sanctis patribus, Prophetis & Apostolis, per quos DEUS se illustribus & perspicuis testimoniis patefecit, expectemus auxilium DEI & vitam æternam. Data Wittebergæ, die vicesima Februarii, Anno 1543.

II.

S. D. Reverendi viri & amici charissimi. Dei beneficio adhuc studia doctrinæ mediocriter in his vicinis Academiis florent, & in Ecclesiis vox doctrinæ est eadem, quæ fuit ante bellum. Ate Illyrica nobis molesta est, cui tamen jam respondebo, de Trunco, ut ipse nominat. Dux Brunsvicensis Henricus etiam nunc castra urbi Brunsvigæ admovit, & facta sunt aliquot parva prælia, in quibus utrinque aliqui interfecti sunt. Jacobum Glocce- rum civem vestrum vobis commendo. Præclare autem eruditus est, & in Philosophia, & in doctrina Ecclesiæ, & mores sunt modestissimi. Sigismundus Kinsingerus jam in salinis in hac vicinia, in schola habet honestum locum. Bene & feliciter valet. die 12. Augusti.

[1550
vid. Dryandro]

FRancisco Dryandro salutem opto, quem propter ipsius integritatem, prudentiam & eruditionem, non dubito vos vestro judicio multo ante complexos esse. Mitto vobis pagellas, quæ utcumque studiorum indicia continent. Iterum valet. Salutem opto & D. Johanni Sturmio.

Inscriptio est:

Reverendis viris, eruditione & virtute præstantibus, D. Doctori Casparo Hedioni & Doctori Johanni Marbachio, Ecclesiam Argentoratensem fideliter docentibus, amicis cariss.

Philippus Melanthon.

III. S. D.

III.

S. D.

Superioribus diebus, amicissime Johannes, scripsi tibi Ysnam, sed rediit cum tota familia Argentinam profectum esse, quā de re Princeps meus non mediocriter offensus, omnem fere negligentiae culpam mihi imputat. Visum est autem nostris, te etiam ab Argentinā revocare. Proinde tuam pietatem exoratum velim, ut (si modo honestè fieri posset) relicta Argentina, ad nos redires. Perpendas obsecro, quod operam tuam omnium primum nostro Principi obtuleris, adeoque prior sis vocatus Studgardiam quam Argentinam. Adhæc majori cum dignitate tum fructu serviturus sis ibidem quam alibi, non enim uni tantum Ecclesiae, sed toti provinciae destinarius Episcopus. Quod si verò tibi omnino non fuerit integrum redire, age obsecro, ita rescribas, ut culpam à nobis transferas, in cessatores illos, quorum intererat primum querere regnum DEI. Hæc iterum paucis ad te scribere libuit. Nam reliqua ex prioribus meis & magistratus mei literis accipies. Bene vale. 23. Julii. Saluta meo nomine, D. Paulum Vagium.

Valentinus Vannius, Parochus Studgardianus.

IV.

In Domino cum primis observande Bucere: Binas tuas literas accepi, & per Guntzburgensem & per illum pusionem Augustanum, Tabellarios. Quibus si non modo, ut volebam, pro votis tuis respondero, dabis veniam, mihi nondum *κατακρησθησθαι*. Etsi tu sanctis tuis paraclesibus multa effeceris, & luxata magna ex parte loco suo restitueris, pro quo pietatis officio ingentes habeo & ago gratias, multo lubentius relaturus, si meae voluntati par facultas responderet. Dominus etiam sancta illa tua vota pro me & meis recompenfet largiter. Spero autem & te postremas meas per M. Stroleri filium missas accepisse. Valde gratus erit & pater & filius, si tantum habere possit famulitium, in quo artem suam exerceat. Non est ergo, quod te angas, ut ille per se officinam instituat. Gardeò opt. Arnolds & suos ita tibi curæ esse, Dominus tandem illos reducat & in integrum restituat. Quæ recte de Minderlino scribis & consulis, D. Johanni Heynricho Neythardo, summo Scholarchæ & Aedili exposui. Is verò in tanta ministrorum inopia subinde consulit, ut ex Stipendiatis nonnulli in ministerium vocentur. Ego libere respondeo, aliter mihi imò verò tibi & tui similibus videri Quæ scandala isti *ἀπαρ.* juvenes Ecclesiis objiciant, proh dolor experimur indies magis.

magis. Nolo acerbius nunc Pontani & Cleylii mentionem facere. Solus Aubelin suam Spartam probe ornat. Egeremus autem nunc uno ministro ad Geyslingiam, ad Uberkung, ad Naulz, ad Bernstatt, ad Reytheimb, ad Wul. Etsi Aediles cogitent, ut vulgo dicitur, virtutem facere ex necessitate & interdum uni Ecclesiastæ duas committere Ecclesias, qui uni ægre sufficit regendæ. Ita duplicantur peccata, quibus se commiscent illi, qui Neophytis cito manus imponunt, & una dote, quod dicitur, duos generos parant. Nostrorum tenacitas magna ex parte causa est tantæ inopiæ ministrorum. Sed cesso quærulari. Tantum cuperem ista & alia, non solum per me, sed per alios quoque Senatui nostro tandem innotescere. Sed audire cogor: majores motus excludunt minores; quasi verò Ecclesiastici motus tam minimi sint, & politici tam maximi. Propterea venit ira DEI in nos, quia Christus partes postremas habet in hoc mundo, qui tamen principem ejus vicit. Cæterum cum modo non licuerit Neythardum convenire, ut Minderlinus & Negelinus, aut alius ex stipendiatis huc in ministerium vocaretur, nolo illos hisce meis nunc vocare, sed videant isti, ut parati sint, si Neythardus in sua sententia perstare velit. Ego libenter vellem eos, de quibus magna spes foret, non ita abripi, & eorum studia veluti in herba enecari. Lüntschius autem ille insciis & invitis Scholarchis relicto stipendio Heidelbergensi alio se contulit. Forte inescatus per quosdam, qui eum commendarunt Wendalino Agricola, præfecto in Lützelstein, nostri Isenmanni Genero (quem salvum, ut veterem congerronem, cupio) Vereor, ne Lüntschius sit vestigia secuturus, illius Schlemmeri, qui & olim in Lützelstein degit, & hic nostra opera nostris reconciliatus accepto peculio paterno nescio quo hinc se proripuit, præfens forte seculum amplexus. Dolet valde, non tam nobis quam vobis, per tales erroneas & volantes passeris negotium fieri. Quod ad Critonem nostrum attinet, scias illum valde piam & gravem constantiæque plenam epistolam scripsisse pio nostro Archigrammateo, nihil tamen de illo vestro concilio, cujus Musculus noster mentionem fecit in literis suis, quas tandem nudius tertius ad me dedit. *Vidi, inquit, consilium fratrum Argentinosum; quomodo patrocinandum sit cause Christi, in hisce comitiis? sed vereor, ne quod bene consultum, executores non inveniatur. Sit ergo Christus & Consaltor & Exequutor, nec deserat in se unice sperantes.* Hæc Musculus, qui nihil amplius singulare, tua dignum cognitione, adscripsit. Miratur cur Philippus Wittebergam redierit, quem oro, ubi ad ipsum rescripseris, millies ex nobis salutes. Adjecit quod & frater meus jam bis confirmavit: Filium Papæ, Aloisium, domi suæ occisum, & foras in plateam projectum, idque factum esse Placentiæ quorundam Cæsareanorum practicis. Parmensesque & Placentinos à Pontif. M. defectionem moliri. Spargunt & Papam nolle Cæsari, Tridenti potius quam

Bono-

Bononiæ concilium peragere volenti, acquiescere. Interea de Anglorum & Gallorum compositione ac cum Venetis confæderatione feruntur Augusta & hic. Sunt qui opinantur Gallum Sabaudum restitutarum. Tum ignis ille Bernenses infestare possit. Ita omnia plena practicis technis & insidiis. Volo autem per Archigrammateum diligenter curare, ut Crito, qui merito observat D. Sturmium, vestra legat & iis confirmetur. Mallem & ego tale scriptum videre. Quod ad finem epistolæ tuæ peris, ut certa scribam de illo Magistro curiæ, scias Critonem nostrum 9. hujus ex Augusta nostro Archigrammateo Theodorico Schertlin tui nominis studiosiss. in hunc modum de illo perscripsisse. Es hat der Stattschreiber von Worms mir angezeigt / daß Er und der Burgermeister von Speyer / so zu Ulm gewesen / der Stattschreiber von Hagenaw / und der Stattschreiber von Colmar / auch andere vielmehr Personen / die nachfolgende Reden von ihme dem Hofmeister Provincial zu Snyzburg gehört haben. Er hätte GOTT berrogen und GOTT verleugnet und nicht Gottes sondern seine Ehr gesucht / des sey er also beredt worden. Darauf der Stattschreiber von Colmar / der ihn dann wohl gekennet hat / gesagt: Er hätte GOTT nicht verleugnet / sondern Jhn bekennet / und ihn also trösten wollen. Darauf er ihm geantwort / laßt mich mit lieb. Ich kenn dich wohl / du bist der Stattschreiber von Colmar. Ich bin des Teuffels. Ich hab GOTT verleugnet. Auch in Latein geredt. Auch in Gedancken hab ich GOTT verleugnet / und darauff geschrien / man solt ihm Fenster und Thürn uffhün / und jedermann kommen lassen / daß sie hören / wie er gehandelt hätte. Et hæc ex Critonis literis ad meum Archigrammateum datis bona fide descripsi. Jam opt. Noster Stamlerus Medicus mihi priora confirmans dixit, se à fide dignis accepisse, quod & Nonnas Guntzbergenles, apud quas diverterat, cum hinc in lectica ad Augustam ille vehendus erat, hisce verbis repudiavit se consolantes: Gehet nur von mir ihr Nonnen / ihr seyd eben als wohl des Teuffels als ich. Adde quod Archigrammateus noster mihi dixit, se ex ore filii Bartholomæi Cobolis, illius Monachi hospitis, audivisse, quod ipse filius, qui eum deduxit in Guntzburg, ex Monachi ore talia perceperit. Sunt & concives aliquot nostri pestem declinantes & in Guntzberg nunc hospitantes, qui affirmant, eadem se accepisse ex ore Guntzbergenles Consulis, & Guntzbergenles Archigrammatei, qui ambo Papistæ sunt: talia in extremis blasphemasse in S. S. Sunt tamen, qui hoc excusare velint per phrenesin, quam passus sit ille phreneticus. Verum cum suum congerronem, Colmariensem scribam, ita noverit, & sobrie allocutus fuerit, quis credet præfata verba phrenetica fuisse? Ea vellem & nostro Brentio comperta esse, qui de isto monacho nuper ad me scripserat, etiam ut tu certa flagitans. Nam per Diaconum suum Stalo noster ex Edelberga etfi non adeo certa ad Brentium referri curaverat. Jam tuæ prudentiæ relinquo ut

ist

Toll

ista DEI iudicia orbi etiam communicanda forent. Vere nobilis ille Claudius noster, (quem ex animo salvum cupio) in historia illa sancti Abelis Diazii nostri, piæ memoriæ, etiam aliqua exempla recenset, & Vitus noster Dietrich nonnulla tener ferè ejusdem farinae. Vellem ergo juvenis Poëta aliquis apud vos epicedion aut threnos componeret, & vulgaret, quibus jungerentur ex postillis Hoffmeisteri ad rem facientia &c. Retulit & noster Archigrammateus, ut ipse ex Legato Hallensi audierit, qui ejusdem negotii expediendi gratia in hospitio Monachi fuit, in quo Hallerus quidam una degit, nummis accipiendis & expendendis præfectus, quod Hoffmeisterus Hallensem Legatum hisce verbis adfatus sit. Seyd ihr lieber Herr von Hall? was thut euer frommer und gelehrter Prediger der Herr Brens. D solte er und ich die Kirche reformiren / wir wolten der Sachen bald eint werden. Erhißt mir euren frommen und gelehrten Mann. Sed cesso ista prolixitate tibi molestus esse. Ut Augustæ secundus ordo, Principum scil. in Concilium Tridentinum concessisse feratur, puto vos ex Sturmio vestro scire. O Domine adjuva nos. Crito de illo nostro *τοῦ πικρατῆρος ἰλιχτοῦ* scripsit, quæ non libenter audio, quod & corpore & animo infirmus sit. Moritium quidem fortiter resistere, item & Electoris Brandenburg. filium, sed justo & gravi Consiliariorum cætu destitutos, cum adversarii instructissimi sint, sicut filii mundi in sua generatione. Oro me v. Scholæ & Ecclesiæ proceribus commendes. Inprimis D. Hedioni & Sturmio. Salveant & Vurmius & Lenglinus, item nostri Stipendiati, quos ut soles, tuo patrocinio dignare. Nostri quoque te & tuos salvos cupiunt. Bene vale cum tuis in Domino, quos suo Spiritu perpetuo bene valere dignentur. Raptim Ulmæ 21. Septembr. 1545.

T. T. ex animo

Quem nosti.

Mart. Frechtus.

V.

Servet te Christus unica anchora salutis nostræ cum omnibus tuis in vitam sæternam, amen. Doctissime vir, colendissimeq; in Christo frater. quando & quam sæliciter 18. Aprilis Caletum primum Angliæ portum, pervenerimus, arbitror te dudum ex literis accepisse, quas per Antuerpiam ex Caletto ad vos misimus. Caleti propter maris tempestatem usq; ad 23. diem Aprilis hæsimus. Eodem die mare secundissimo vento trajecimus, & Cantuariam venimus. Inde Londinum 25. Aprilis, mox inde Lambetum ad arcem Archiepiscopi transfretavimus, ubi nos humanissime excepit. Ibi adhuc hæremus, expe-

ctantes,

stantes, ut ad destinatas Academias regio mandato transferamur. Me Oxonium, ubi celebrior est Academia, transferri cupit Archiepiscopus, D. Bucerus, vero Cantabrigiam: Verum nos instamus apud Reverendissimum, ut nobis adhuc aliquamdiu una conversari liceat, quid impetraturi simus, adhuc ignoramus. Omnia enim aguntur decreto Regio. Sed quocumq; tandem locorum nos esse contingat, det Dominus, ut nostrum ministerium ipsi approbemus. De rebus Anglicis nihil adhuc certi vobis scribere possumus, nisi quod videmus, admodum copiosam messem esse, operarios vero paucos. Putant vix decem Concionatores in toto Regno Angliæ extare, qui aliquid præstare possint. Rogate igitur diligenter D. nobiscum, ut extrudat operarios in messem suam. Est enim valde necessarium, nec video, quomodo Ecclesiis succurri possit, nisi habeat commodos & fideles ministros. Graviter etiam hic (ut audio) peccatur à Magistratibus in rapiendis bonis Ecclesiasticis. Interim Ecclesiæ misere destituuntur sanis pastoribus. Nos pro nostra quantum possumus, si modo possumus, huic malo & aliis succurremus, verum cum ignoremus linguam, forte non tantum præstare poterimus, quantum vellemus. In prælectionibus gnaviter præstabimus, quicquid Dominus donaverit, deinde in monendis & hortandis privatis hominibus. Dicitur nobis, opera D. Johannis à Lasco effectum esse, ut Gallis in quodam oppido concessa sit Ecclesiæ: Et Londini Germanis quoque, quorum ibi supra quinque millia extare ajunt, quo beneficio certe non parum doctrina vitæ æternæ propagari poterit, si Dominus, ut speramus, ceptis clementer adspiraverit. Antiquus Veterator Sathan, quia & hic sentit aliquam vim Filii DEI non parvam, suo more cursum Evangelii, si non totum, tamen aliqua ex parte impedire satagit. Introduxit enim in Angliam quoq; cum aliis erroribus, nocentissimum dogma Anabaptistarum, ita ut contra ipsos publicæ disputationes in publicis templis sint institutæ, quibus hâc die Reverendissimus interest Londini. Et valde prudenter & magno urbis commodo fit, quod omnia vernacula lingua Anglicanâ coram plebe aguntur, ita fit, ut populus facilius deprehendat Sathanæ imposturas in suis organis. Tamen quia est horribilis istorum hominum obstinatio, ut nec victi clarissimis scripturis veritati cedere velint, imò ad convitia se convertant, ferunt, decretum esse, ut posthac disputationes fiant in templis quidem, clausis tamen portis, certis personis ab ipso Rege ad eam rem destinatis. Hæc propterea commemoro, ut videamus, quomodo ubiq; terrarum diabolus vigilet pro regno suo, quod illi nimirum à Deo conceditur, partim propter nostram oscitantiam, partim ut fides patientia & constantia nostra exerceatur. Christus det, ut & nos strenue scigilemus, pro regno ipsius. Reliqua, optime Frater, quæ te aliosq; confratres scire volumus, cognosces ex literis D. Buceri. Ubi certiora habue-

B

rimus

rimus operam dabimus, ut quam citissime fieri potest, & vos quoque sciatis, Avidissime expectamus literas vestras, ut cognoscamus statum rerum vestrarum, imprimis Ecclesie. Optimè vale, venerande frater, cum omnibus fratribus symmystis, imprimis Domino Conrado seniore & juniore, D. Longlino, D. Christophoro, D. D. Hedione, D. Ludovico, D. Martino & aliis. Valeat quoque tecum quam rectissime, socia vitæ, cum charissimis pignoribus, Raptim ex Lambeto prope Londinum. 26. Aprilis, Anno Salutis M. D. XXXIX.

PLurima salute impertit te tuosque omnes, D. P. Martyr. D. P. Alexander D. Dryander. D. Antonius Gallus, D. Valerandus, cum D. Emanuele & Filio meo Paulo, qui totus factus est Anglus & Gallus, ut sit modo nobis vice interpretis, quod nobis est magno solatio

Inscriptio:

Doctissimo, pijsimoque viro, D. D. Marpachio, Professore Theologie & Parocho Eccl. D. Nicolai ap. Argentoratum. D. & fratri suo colendissimo.

Paulus Fagius.

VI.

SDederat in mandatis nuper, discedens à nobis Polonus nobilis, ut si quid vel literarum vel aliarum rerum ad illum perferri vellem, ad te, Vir ornatissime, recta transmitterem. Te enim pro sua erga ipsum fide & benevolentia diligenter certoque curaturum esse. Mitto ergo fasciculum librorum quorundam, cum literis Calvinii & meis, quem rogo deferri cures Antuerpiam, suscepit eam provinciam non gravatim Flandrus nobilis, qui nuper coram nobis significavit, illuc sibi protectionem institutam esse, cui & literas ad ipsum Calvinii commiseram, & diebus apud vos aliquot hæsurum, Ministerium tuum saluum esse gaudeo, idque eo vehementius, quia id syncerum & incorruptum perdurare intelligo, Christi virtute, tum precor ex animo, ut te ad sui nominis gloriam servet & provehat. Sic enim opus est, adeo in caducum parietem inclinante Ecclesiastico statu. Rogo autem, si per occupationes licebit, aliquando ad me scribas. Cupio enim communionem ministerii tecum inire & retinere. Sicut discedens etiam D. Buccerus, Præceptor noster, commendaverat diligenter. Nunc pluribus non possum: quare vale, Vir ornatissime, & nos ama. Basileæ 26. Junii, Anno 49. Salutat te reverenter & officiose D. Myconius & reliqui Symmystæ.

r.

Simon Sulzerus.

VII. S. P.

VII.

SP. Doctissimi viri, terque quaterque colendissimi fratres in Domino. Primas literas vestras in Majo ad nos perscriptas, 26. demum Julii Lamberti accepimus, è quibus fatis intelleximus, quo in statu res vestrae tum fuerint. Plurimum certe gaudemus, nihil adhuc in religione mutatum esse, sed omnia adhuc in pristino statu manere. O Jesu, Fili David, conserva ac tuere tuam afflictam Ecclesiam. Porro multum vobiscum ex animo & merito quidem dolemus ob impietatem infælicis Beati, quod hoc tempore admodum afflictio, afflictam Ecclesiam, adhuc magis affligere non veretur. O hominis horrendam impudentiam, qui unitatem & concordiam cum fratrum, tum Ecclesiae scindere adeo non horret. Hoc præsertim exulcerato & calamitoso admodum seculo. Vere malus est, malum igitur male perdat DEUS, ex animo vobiscum oro atque semper orabo. Viderint illi, quomodo coram tribunali Christi respondere velint, qui talem impudentem perturbatorem Ecclesiae malignè obtrudere non sunt veriti. Scripsimus communem Epistolam ad totam Ecclesiam Argentinensem, in qua & inter cætera producit & perstringitur impii Beati temeritas & impietas, & diluuntur ejus impia argumenta, quibus institutum nostrae disciplinae convulsit. Quo scripto lecto, speramus ejus pestem minus nocituram. Scripsi & ego privatim ad fraternitatem Junioris Petri. Curate quæso, ut utrumque scriptum legatur fratribus. Reliqua quomodo cum Beato agendum sit, & quomodo contra eum excipiendum, si in pastorem eligi deberet, intelligetis ex literis D. Buceri. Magno tamen nobis solatio est, quod intelligimus inter vos reliquos tamen pastores magnam esse consensionem simul atque parresiam in docendo & concionando. Rogamus supplices unigenitum Filium DEI, ut Spiritum S. suum nunquam vobis eripi sinat, quo ita porro ut hætenus constanter pergatis; donet vobis omnibus duplicem Spiritum Heliae, ad profligendam omnem Satanæ Antichristique, filii ejus, impietatem. Rectè quidem pie & sancte mones, doctissime Marpachi, ut pro virili hinc quoque pro disciplina Ecclesiae laborare & instare apud proceres regni velimus. Sed tu noveris, parvam adhuc hujus rei impetrandæ spem esse. Magna adhuc, proh dolor, est confusio, indigestaque moles, multum certe est laborandum & sudandum, quod nos minime subterfugeremus, si aliquid hinc per nos stare. Messis quidem est copiosa, sed operarii revera pauci, & qui pro operariis habentur, frigide admodum operantur, paucissimis exceptis. Non tantum rari sunt hic concionatores, sed etiam apud ipsos concionatores rarissimæ conciones, aut planè nullæ. Interim tamen habent magnas multas & pingues præbendas, & sunt magni Domini, satis esse putant, in conviviis & colloquiis posse aliquid de Evangelio nugari, captiosas ac curiosas quæstiunculas movere, cui

re, cui vitio video Anglicam gentem admodum obnoxiam. In summa laudatur cum Christo, cum sancto Evangelio, & Ecclesia ejus. Omnes quarunt, quæ sua sunt, nemo, quæ Christi. Non video, quomodo & hoc regnum consistere possit, nisi majore studio & pietate se Christo subjiciant. Hæc propterea scribo, ut eo ardentius nobiscum clametis ad Patrem Cœlestem, quo & Ecclesiæ suæ in hoc regno clementer succurrere velit. Nos libenter faceremus, quicquid possemus, sed quia linguam ignoramus, non videmus, quomodo multum prodesse possimus; neque enim concionari, neque cum hominibus loqui valemus, quæ res certe magnum habet momentum. Apud Reverendissimum facimus, quod possumus, qui revera pius & sanctus vir est, & optime consultum vult causæ Christi, plus facit, quam nemò alius, multum tamen impeditur propter negotia aulica, quibus plurimum obruitur. Expectamus, ut brevi ad Academiam Cantabrigiensem transferamur. Dominus det, ut multum fructum adferamus, studiosis saltem. Hisce diebus literas à Lipsensibus accepi, qui diligentissimè me vocant ad scholam & Ecclesiam suam, aut ad quamcunque aliam, si quæ mihi placeat in tota Saxonia. Omnes fere nominant Academias, & cupiunt ut eligam, quamcunque voluerim. Si vocatio D. Buceri in Daniam, & hæc mea in Saxoniam facta esset, cum adhuc isthæc eram, forte prætulissemus eam Anglicanæ. Semper enim magis jucundum & frugiferum esset, apud Gentem agere, cujus linguam non ignoraremus. Sed quia DEUS clementer admodum nos huc deduxit, ideo expectamus ejus voluntatem, quid hic nos facere velit, tantum det ubicunque demum terrarum simus, ut illi nostram operam & ministerium approbemus. Habeo & ago vobis omnibus, charissimis fratribus meis, ingentes gratias pro sollicitudine & officiis vestris erga meam uxorem. Christum rogo, ut assatim vobis rependat. Studebo & ego, quantum possum, erga vos non ingratus esse. Quid cum uxoribus nostris fieri velimus, scripsimus. Si aliqua spes, affulgeret nostræ ad vos revocationis, cupimus illas apud vos diutius hærerè. Sin, quo maturius ad nos venerint, eo gratius erit. Egemus enim illarum opera & ministerio maximè propter victus rationem. Precamur igitur vos ex animo, consulite hic in medium, quid sit è re nostra, & quod vobis, aliisque bonis viris consultum visum fuerit, jubemus, ut sequantur. Boni consulite, optimi viri, quod communes vobis literas scripsi; Nam revera cuique privatim scribere nostra per negotia non licuit. Optime valere cum uxoribus vestris, liberis & familiis. Salutate ex me diligenter omnes fratres Symmistas, & Scholæ Professores. Inprimis autem D. Johannem Leglinum, fratrem mihi longe charissimum, cui alias scribam. Cum D. Leonhardo, Præfecto Collegii, aliis omnibus bonis amicis. Ex Lambeto in Anglia. 29. Julii. 1549.

Inscri.

Inscriptio:

Doctissimis ac pijsissimis Viris & sincerissimis Theologis, D. D. Joanni Mar-
pachio, D. Conrado Huberto, D. D. Christophoro Sælio. D. &
fratribus charissimis.

Totus Vester

Paulus Fagius.

VIII.

S D. Clarissime Domine Doctor. Quod mihi data est occasio ad te
amicitiam, quam Vitebergæ constituimus & sanctissimis colloquiis ad bien-
nium aluimus. Proinde non utor apud te longiore circuitu; Ex me metior
tuum animum, & non dubito, te antiquam in me retinuisse benevolentiam.
Quod autem à te peto, breviter expediam. Hic adolescens Vallensis dedit
operam bonis literis in hac nostra schola, excitus autem fama istius celeberrimæ
urbis, & mores externos spectare, & isthinc animum porro cupit excolere bonis
literis. In ea re si quid opis potes ferre egeno, da quæso hoc meis amicis
precibus, & ira tractato hominem, ut intelligat ipse, cum suis amicis, meam
commendationem aliquod apud te pondus habuisse. Si qua in re vicissim
potero tuis declarare meam gratitudinem, faciam, ut perspicias, me boni
functum esse viri officio.

De statu rerum nostrarum hæc addo. Ecclesia & schola nostra Christi
gratiâ adhuc salva est. Laboramus in Evangelio de Filio DEI nemine
obstante. Nec quicquam nobis in hunc usque diem propositum est, de
mutandis ceremoniis, quas equidem ante aliquot annos instituimus ad
formam Ecclesiæ Vitebergensis. Et politia fruitur sua pace sub Rege nostro.
Faxit DEUS ut metalla reflorescant, quæ in his tumultibus facta sunt aridiora.
Cum uxore gravida & tribus liberis sic satis valeo. Cum amicis delector
in studio hebraicarum literarum. Hæc de statu nostro. Porro quid in Sa-
xonîa agatur, ex Domino Raphaelæ procul intellexisti. Bene vale
clariss. & cariss. Domine Doctor & amice. Et harum Ecclesiarum in vestris
precibus non obliviscimini. Et si tibi se offert occasio, fac, ut ex te resciscam,
quid isthic agatur, & quo in statu res tuæ sint. Iterum vale. Datum in valli-
bus Joachimicis. Ægidi, 1549.

I.

Mathesius, docens Evangelium in Vallibus.

